DE FAVSTO CAROLI IX. FRANCORVM REGIS & Isabellæ Austriæ matrimonio, Papirij Massoni Commentarius.

Ad Serenissimos Andium & Alanconiorum Duces.

LVTETIÆ.
Ex Typographia Nicolai Montani.
M. D. LXX.
Cum priuilegio.

Case
F
39
.326
1570m

THE NEWBERRY
LIBRARY

56-1447

POTENTISIMIS HENRICO Andium & Frãciſco Alanconiorum Ducibus Papirius Maſſonus S.

Eragrata pridem Italia, exploratiſque multarum gentium moribus, cùm Regis nuptiæ maturari dicerentur, futurus tantæ rei ſpectator, Sereniſs. Duces, Maſerias Rhemorum oppidum ontinuatis noctu diúque itineribus contendenlum putaui. Vbi ea, quorum cauſa omnes veneant, laudabiles conatus adiuuante fortuna, videe primùm atque audire, mox in commentarium eferre licuit. Eum ipſum vobis dico, qui paternos tque auitos ſpiritus geritis, & in hoc congreſſu Germanorum proceres incredibili veſtrarum virutum ſplendore victos in admirationem rapuiſtis. Diui Diuæque omnes vos ſoſpitent, magnanimi eroes: tu Henrice, dum ad excelſa virtute duce ſpiras quotidie magis, ſuperis bene iuuantibus, Alanconium trahe —— sic itur ad aſtra Dijs genite & geniture Deos.

DE FAVSTO CAROLI IX.
FRANCORVM REGIS ET *Isabellæ Austriæ matrimonio, Papirij Massoni Commentarius.*



AROLI IX. Francorum Regis & Isabellæ Austriæ matrimonium scripturi, paulo altiùs, quãdo necesse est, ordiemur. Henricus Valesius numerosam prolem ex Catarina vxore susceptam moriens reliquit : mares quatuor, fœminas verò tres. Filiorum maximus natu Franciscus generosus adolescens, paterni imperij hæres fuit. Is viuo patre Mariam Scotiæ Reginam duxerat vxorem. Ex qua nullis susceptis liberis, cùm alterum annum nondum regnasset, excessit è vita. Imperium susceptit Carolus Maximilianus, tum planè puer, multo alieno ære obstrictum, quod parens atque auus cõtraxissent: & iam inueterata procerum odia in mutuam perniciem homines rerum nouarum cupidos accendebant: propositóque in speciem religionis nomine, ad non obscurum bellum rapiebant: vt non tam appetendum Carolo diadema, propter

imminens ciuile bellum quàm recusandum omnino atque abiiciendum esse videretur. Cæterum hæ curæ in Regis teneram ætatem, qui annos decem vix attigisset, nequaquam cadere poterant. Ferendū matri onus spectatissimæ fœminæ atque deuorandæ tá graues molestiæ, & gladii piorum hominū ceruicibus intēti repellendi: insidíæque saluti liberorū paratæ æquè ac sibi eodē tempore vitandæ fuerunt. Salubre consilium secuta, hostium vires quas frangere nō poterat, certè debilitauit. Interim adoleuere filii tanto matris atque omnium gaudio, quantum concipere animo mortalium vix quisquam potest. Rex pietatem & iustitiam professus, sacra maiorum, vti Christianissimum Regem decuit, defendere armis tutaríque aduersus eos qui rebellionem fecerant, animosè cœpit. Henricum fratrem, cui Alexandro Edoardo nomen fuit, attributis ingentibus copiis, summæ rerum præfecit, qui incertos præliorum euentus & ancipitem Martis aleam subiret: quando periculosum esset Regis salutem hostilibus gladiis obiicere. Quartus, repudiato Herculis nomine Franciscus appellatus, absente Rege, publicis deliberationibus & consiliis, quæ ad Franciæ totius cōseruationem per-

tinerent intereſſe, eadémque preſentia ſua auguſtiora facere doctus. At Regina depoſitis belli cogitationibus ſolatium ſenectutis maturè ſibi quærendum vidit: nurum videlicet Valeſia gente ampliſsimíque & opulentiſsimi regni finibus dignam: ex qua natos ſibi nepotes, indolem auitam referẽtes, inſpicere olim & manibus attrectare poſſet. Nam ita comparatum eſt natura, vt matres tum demum ſe beatas, veréque immortales putent, cùm filiorum ſobolem vlnis fouent, & ſæpe repetitis baſiationibus atterunt. Illa igitur in Germaniã verſa inde Carolo vxorem aſciſcendam putauit: vt vetus Galforum & Germanorum neceſsitudo maximè neceſſario Reip. tempore renouaretur. Occurrebant multæ nobiles & antiquæ familiæ, Auſtriaca viſa potior, quòd ex ea gente poſt Carolum V. & Ferdinandum noſtra memoria magni nominis Imperatores Maximilianus Germanico imperio ptæeſſet. Habebat is filiam nubilem Iſabellam, cui natura præter alias dotes hilarem vultum, & Gallicæ alacritati planè reſpondentem dederat: Educatio verò plurimas virtutes & quidem maximas attulerat. Cupiebat eam Carolo Regi in matrimonium dare: nec voto for-

tuna defuit, Missi è Gallia in Noricum homines idonei cum mandatis vti ea de re agerent, responsum à Maximiliano, non esse sibi quærendum nobiliorem generum, neque enim reperiri posse, optabilius nihil esse quàm vt Carolo Maximiliano, cui ipse nomen dedisset, Isabella filia fœlicibus auspiciis nuberet. Perscriptis iam conditionibus & à Carolo receptis deligitur vir industrius Comes Retensis: huic datæ publicæ ad Ferdinandum Cæsaris fratrem literæ, quibus Rex petebat, vt suo nomine Isabellæ nepti fidem daret: quæ fecisset, quæque pollicitus esset, ea se primo quoque tempore rata habiturum. Forte tum ad Comitia Germaniæ proceres certatim ibant, de publicis Imperij rebus more gentis Spiræ deliberaturi: quod est oppidum ad flumen Rhenum. Et Cæsar eò venerat cum Maria vxore, & Isabella filia, vt eam conuocato concilio Regi omnium nobilissimo ac potẽtissimo nuptũ collocaret. In eius oppidi tẽplo spõsalia sunt facta, certam & præsentem stipulationem futurarum nuptiarum excipiente Moguntino. Nec ita multo post profecturæ in Galliam Comites dati Iacobus Eltzius Treuirorum ad Mosellam amnem Præsul, cuius sum-

mum in se studium & voluntatem Maximilianus cognouerat: & is quidem meritó delectus ad hoc munus obeũdum videri potest cũ vicinis Galliæ ciuitatibus imperet, & Francorum res apud Germanos procurare ex officio debeat. Adiuncti Episcopus Argentinæ ex nobili familia ortus. Marchio Badenæ, eius cognatione patruelis qui Regias partes secutus in prælio Mõ controræno incitato cursu in confertissimum hostium agmen irruẽs fortissimẽque pugnãs occubuit. Solercus Comes propter egregiam fidem Cæsari charus, in hoc numero etiã fuit. Venêre ex fœminis Arãbergia & Madrucia, matronæ lectissimæ. illi vir fuit cuius erat inter Belgas virtutis opinio singularis, & qui ciuili bello auxilij causa à Philippo missus in Franciam venerat, postea reuocatus in Belgium exitiali Hispanorum peditum vecordia hostium telis obiectus apud Damum Phrisiorum oppidum crudelissimè cæsus est. Rex legati sui literis certior factus aduentare vxorem, ad eam in ipsis regni finibus officiosissimè accipiẽdam, charissimos fratres Henricum Andiũ Boiorúmque, & Franciscum Alanconiorũ Duces obuiam mittere statuit. Nec dubium erat quin ipsam Compendij aut Rhemis, aliáue

aliáue opulenta in vrbe expectaturus esset: quod consilium primò probatum & euulgatum scio fuisse. Verùm propter vim hyemis & longitudinem itineris, quòd vereretur ne Germanis graue foret vltra regni fines progredi, Maserias vsque eundum sibi, conficiendúmque illic matrimonium putauit. Sunt Maseriæ in vlteriore Mosæ annis ripa sitæ. Mosa ex Vogeso non procul ab Araris fonte oritur. sed hic per fines Heduorum & Sequanorum versus meridiem in Rhodanum, ille per Eburones & Menapios versus septentriones in Oceanum influit. In eo oppido, quod patrum memoria, oppugnante Nansoo, Bayardus pugnacissimus Gallorum ducum egregiè defendisset, & in quo primùm Annæ Memoranci postea Magistri equitum gloria rebúsque gestis amplissimi virtus enituisset, parata omnia, quæ ad nuptias potentissimi Regis pertinere quoquo modo poterant, tam breui spatio, vt iam verum sit Francorum animos ad explenda Regum suorum studia procliues esse natura. Nam excitata incredibili nobilium artificum diligentia ex aliquot priuatorum casis cubicula, & vastæ ad Regium epulum & saltationes aulæ, tapetibus admirandi operis circumuestitæ ap-

paruerunt. Profecti Maſeriis Regis fratres ſorori obuiam procedere iuſsi cum Carolo Auſtraſiorum Duce, Claudio Aumalio, Henrico Guiſa, & Carolo fratre generoſis adoleſcentibus, Franciſco Memorancio Annæ magiſtri equitum filio inter tribunos equitum, qui magiſtratus in Gallia ſummus habetur, dignitate excellēs, quem Carolus & Aloiſius fratres paternam indolem referentes ſequebantur. Aderant fortiſsimi viri Gaſpar Tauanius pugnæ ad Moncontorium cōmittendæ auctor præcipuus. Sciauignius, Mompeſacius, Vaugyonus, Suza Allobrox, genere & rebus à ſe geſtis nobiles. E domeſticis, Frāciſcus Carnaualetes vir ſobrio ſolertíque ingenio, & Sulpicianus Hiſpanica Legatione illuſtris. Hi omnes Sedanum petebant Henrici Marchiani oppidum ſecundum Moſam: quod eminenti in loco Arcem habet & natura & manu munitiſsimam. In ea cùm eſſent fortè Marchiani vxor ſecunda noctis vigilia marem enixa eſt, & pluuio admodum cælo, caliginoſóque aere ſupra arcis verticem clariſsimum ſydus viſum & quaſi tecta incenſa eſſent, ardere ædificia longè latéque credita, vt vigiles ad reſtin-

guendum incendium frustra accurrerint.

Postridie eius diei mane ad Henricum regis fratrem accessit oppidanus quidam supplex prolixè orans vti veniam misero cuidam impetraret, qui ob interfectum ciuẽ prægrauibus ferreis catenis vinctus fœdo in carcere diu fuerat. Quod cùm humanissimus Princeps facere vellet, Marchianus qui fortè aderat. Tu verò, inquit, magnanîme Henrice, veniam dato, clementia & lenitate vti solite. Hæc tibi potestas Sedani posterísque tuis semper esto. Ita calamitosus ille sibi suîsque restitutus, & præsenti mortis periculo liberatus fuit. Regina interim Dusio in vico noctem transegisse nunciabatur, qui non amplius millibus passuum quatuor aberat: & omnino biduum supererat, cùm nuptias fieri oporteret. Sereníssimi Duces properè occurrendum rati, cum numeroso equitatu porta oppidi sese effuderunt ad hunc ferè modũ. Præmittebatur turma equitũ custodiæ causa haberi solitorum. His proximi erant Hip pagij nobiles pueri, ab agendis equis Græca voce (vt opinor) dicti. Sequebatur nobilium iuuenum globus: tum conchyliatis torquibus donati ob virtutem equites: inde

Regis fratres vnà cum Carolo Austrasio. Pone erant proceres illi quos nominatim persecuti sumus. Vix progressi passuũ millia duo inter Balanum & Bazeliam obscuri antea nominis vicos, patentibus campis Germanos adesse vident, inuictíque Cæsaris filiam. Tum verò præcinentibus vtrimque tubis continuato ad dextram itinere, temperato passu, & serica in veste, torquibus aureis nobilissimi quique relucebant. Sedebat Isabella inaurato in curru, quẽ Pãnonici generis equi maximè generosi quatuor trahebant: & Treuirẽsis aliíq; proceres dimissis equis vtrimque ad fenestrellas venerabũdi stabant. Præsto affuere à læua augusti Andium & Alanconiorum Duces, qui equitatu omni vltra centum passus subsistere iusso, Reginam sororem salutatum veniebant. Apparebat eam è curru descensuram, sed à charissimis fratribus quominus id faceret impedita est: & tum virgineus pudor quantum virium haberet, omnium oculis iudicatum est. Roseus enim rubor in Isabellæ genas repentè diffusus apparuit Ipsi fratres tenero gaudio perfusi, simul acingenuo pudore victi etiam erubuere.
Sub aspectum omnium res gerebatur: & Germani nostríque stupentibus similes hu-

mano an diuino ſpectaculo intereſſent diu in incerto fuere. Pauca collocuti interprete Arambergia, propter Gallicæ & Germanicæ linguæ ſcientiam, inſcenſis equis Sedanum verſus iter facere cœperunt: ſic vt Henricus dextrum, Franciſcus læuum vehiculi latus adequitarent, & ſuauiſsimis ſermonibus ſororis animum paſcerent. Hîc Franci de præcellẽti Reginæ ſuæ virtute iudicium ferre, Germani nobiliores coniectis in Regiam ſtirpem oculis quærere, vter eſſet is qui res tam præclaras penè puer iam emiſiſſet famæque oſtentaſſet: & quidem eas Germanis omnibus non minùs quàm Gallis notas eſſe aſſeuerabant. Erant in arce ænei, ferreíque tubi ſupra quadringentos: hi cõcepto igne ingens tonitru euomuere, vt propter fragorem & perſtrepentes bõbos cedẽtémque ac metu refugientẽ aerem miſeri mortales ſenſum aurium amiſſuri viderentur. Dum hæc fiebant, Rex celeribus equis vectus, mutato corporis cultu ne facilè agnoſceretur, per ſubitarium ligneum pontem & deſtinatam ori tormentũ feneſtrellam clam arcem ingreſſus, vxorem è quadrigis deſcẽdentem dein cõſcendentem ſcalas vidit. Eam cõtemplatus, Deo magno, inquit, diuíſque immortalibus gra-

tias ago, qui mihi vxorem qualem & speraram & optaram propicii dederunt. Hæc locutus eâdem via Maserias rediit. Interim commodissimum visum mittere ad Treuirensem, qui tantisper dum epulum pararetur, cum eo de felici aduentu suo suauissimos sermones sereret. Non occurrebat ad hoc munus obeundum aptior quisquam Philippo Huralto Cheuernio. Hunc anulisui custodem, nobilissima apud Cœnomanos gente ortum Andibus Boiisque propter singularem æquitatis opinionem longè charissimum, Henricus ad hospitium Treuirensis ire atque imperata facere iussit. summa colloquii fuit. Carolo Regi nihil optatius esse quàm tanti nominis in Germania Principem videre: quàm Gallorum gentem cum Germanis perpetuo fœdere ad non dubiam totius Europæ vtilitatem fructúmque sociari. Deos hoc matrimonium auspicatò factum esse fortunaturos: ex Francico & Germanico sanguine naturos, qui indomitam Turcicæ gentis audaciam æterno Deo Christianisque ritibus parere doceant. Mox ab Aumalio & Marchiano ad cœnam inuitatus & in maximũ triclinium per quàm officiosè deductus è regione Hẽrici Andium Ducis læuam versus accubuit.

Veneris dies dicendi materiam dedit, de piscibus primùm, mox de germanicis epulis & hipocaustis actum, interprete Cheuernio. Ac ne quid publico gaudio deesset, aliquoties vtrinque propinatum fuit. In diuerso cubiculo epulum Isabellæ præbitum, apponentibus germanis. Postero die circiter horam nonam Sedano profecti omnes Maserias contendebant, vtque iter fallerent Treuirensis Henricum de Franciæ regno & rebus à se gestis, illum hic de germaniæ Repub. percontabatur, Cheuernio eodem, vt medius atque interpres esset, accedere iusso, multísque verbis vltro citróque habitis superuenit à Rege nuncius ad Treuirensem, magnopere rogans, vt eo ipso die D. Catarinæ dicato Regina vxor in Catarinæ matris sapiẽtissimæ fœminæ potestatem veniret: ne si ea sollemnis ceremonia in proximũ diem differretur, speratæ nuptiæ importunè suprà quàm dici posset procrastinandæ forent. Responsum se de via lãguere comitésq; suos, instare noctẽ quæ id fieri nequaquã pateretur. Sũmo mane præsto se cum eis ad eã rem affuturum. Paulo ante Solis occasum, primum venientium agmen in vrbis conspectu cùm esset mille sclopetarij, in muri corona dispositi,

displodere cœperũt: & maiora minoráque tormenta ingentes boatus edidere. Ingredientem Reginam aurata sub vmbella opulentisiméque depicta incredibili omnium voluptate Fráci viderunt, feneſtris hinc & inde ſpectantium hominum ac nobilium fœminarum multitudine refertis, Ventum eſt ad triclinium aulæis vndique ſtratum: in quo optima ſocrus, auidè nurum expectabat, cum Claudia & Margarita Regis ſororibus, Carolo Borbonio, Carolo Lotaringio, & Aloiſio fratre ſacra purpura excultis, aliiſque nobiliſsimis proceribus & lectiſsimis fœminis. Excepit humaniſsimè illa, cæteri planè venerabundi ſalutauerunt. Deductáque ad Regem in ſuperiori aula expectantem, epulo quod ad eum locum non fecerat primùm interfuit. Aduenit demum dies ſextus kalendarum Decembriũ, fœlicibus nuptiis deſtinatus, anno à partu Virginis ſupra milleſimum ſeptuageſimo: & is quidem cùm menſem integrum pluiſſet, ſuperis mirè fauentibus, incredibili ſerenitate perſpicuus. Treuirenſis in talari ſerica veſte, cum ſuæ gentis primoribus viris Regem tempeſtiuè ſalutatum venit: paratum ſeſe dicens, vt pridie pollicitus eſſet, Cæſaris filiam Chriſtianiſſimo principi ducendam

cendam dare. Hic Germanus quidam orationem habuit, de matrimonij conditionibus déque sponsalibus pauca præfatus. Addidit Isabellam iam nostratem fieri, puellam omnium quas orbis aleret virtute maximam: sperare Cæsarem atque adeo vniuersam Germaniam ex hoc connubio Europæ toti optatissimam miseris mortalibus quietem importatum iri. Vix finem fecerat, cùm Treuirensis Latinis literis apprimè, eruditus, Ego, inquit Rex omnium potentissime, vxorem tibi repræsento mihi à patre Maximiliano commendatam. Si beati sunt qui pudicas & præcellenti virtute exornatas ducunt, tu eam ducturus es quæ docere alios virtutem, ipsa discere non possit, cùm omnem habeat. Faxint superi, hæ nuptiæ deformatam discordiis suis Europā restituant. Latinè oranti continuò per Mor uillarem Regij scrinij custodem spectanda canicie & multo rerum vsu conspicuū breui Latina oratione fuit responsum. Regem perscriptis matrimonij legibus assentiri, eas iureiurando, si opus videatur, vltro firmaturum: dari sibi vxorem quam ex animo amaturus & charissimam in posterum habiturus sit. Gratias agere se Treuirēsi iisque omnibus qui optatam sibi coniugem ho-

noris causa comitati essent. Absoluta oratione Treuirensis manu apprehensam puellam hilari vultu alloquēs, Transi, ait, ad socrum coniugémque tuum, Germanica esse desiisti, gallica esto. Diui omnes Valesiam & Austriacam gentem fortunare velint. Et verò Germanis relictis in aliam triclinij partem in qua rex erat, interiecto modico spacio sola transiit. Salutatam à Rege mater optima suauiata est, & inter se filiúmque medium statuit. Seductam inde, quòd maturandum esset propter matutina sacra, Regali eam corporis cultu primariæ fœminæ decorarunt. Textilem argenteam vestem gemmis inauditi precij distinctam induit: quam violacea palla contegebat aureis liliis aspersa, inspectantium oculos facilè perstringentibus. Postremo coronam stupenda & inestimabili gemmarum ac vnionum varietate precioſam capiti imposuerunt: vt vix tantum pondus latura ad ædem vsque videretur. Rex argentei operis gemmatum pallium ferebat: mater pulla in veste erat, superiniecto obscuriore velo, cum prælonga solum verberante lacinia. Fratres Regē, sorores Reginam corporis cultu adumbrabant. Aberat templum Virginis à Regia sex centos ferè passus, & eo perducēs regio pā-

nis infernè strata visebatur, pompa per eã traduci cæpta, sic vt secundum prætorianos milites & nobilium agmen in auro textili & serico, omnis coloris eleganter variegato Regem antecederent conchyliati equites, Regum legati, germani proceres Francis permixti, purpurati Cardinales, & Regi proximus Henricus Guisa præfectus prætorio cum insignibus, paternis suisque factis notus adolescens. Regis sinistrum latus teneb at Treuirensis, secundum Regem Carolo Guisæ cubiculi præfecto locus fuit. Reginam vtrinque deducebant Andium & Alaconiorum Duces. Proximè ibat Catarina mater: tum Regis sorores Claudia [redacted] vxor & Margarita nubilis, magno Rege digna. Sequebantur principũ vxores filiæue: in queis fuit Antonina Borbonia Guisiorum mater octoginta annos nata, sua liberorũmque sobole planè, fœlix: fœlicior futura si Franciscum Guisam virum fortissimum incolúmen ad has vsque nuptias retinere potuisset. Virginum agmen argenteo corporis cultu succedentium sollemnẽ pompam clausit. Carolus Borbonius venienti Regi Reginæque ad templi limẽ sacratas chlamides indutus ac mitratus occurrit: deductóque ad aram maximam & fle-

xis genibus sub vmbella supplicantes Christiano ritu copulauit. Peractis sacris ad excitãdam lætitiam fœcialis effuse in populũ argenteam atque auream stipem dispersit. Dein in Regiam reuersi ad epulum, ipsæque præcinentibus tubis epulæ miro ordine, ministrorúmque elegantia, præeũte cuysa Regiæ familiæ magistro, introferri sunt cœptæ. Regi ministrarunt Aloysij Mompenpenserij filius, Leonorus Aurelianus Villę longæ despota, & Claudius Lotaringius. Primus panem ministrare, alter potum dare, tertius appositas dapes dissecare iussus. Reginæ verò eodem ordine Franciscus Memorancius, Boisiuus, Brienius è clara Lucemburgorum familia, inseruiere. Catarinæ matri Cursolius Nitiobrigum Dux, Carolus & Aloisius Memorancii Annæ filij. In regia mensa, quæ erat aliquot gradibus excelsa, accubuere Rex, Regina, Mater, Andium & Alanconiorum Duces, Treuirensis, sorores Claudia & Margarita, Carolus Lotaringiæ dux, Pij quinti, Hispaniæ, Scotiæ, Venetorum legati. At in aliis duabus infra gradus in conspectu tamẽ Regis proceres illi Germani, qui suprà nominati fuere, Franci principes, primariæque aliquot œminæ discubuere. Remotis mensis ad ti-

biarum modulos saltationes cœptæ Rege vxorem manu ducente, Henrico & Alanconio sorores suas, Lotaringio Aloysii Mompenserij vxorem è sua gente ortam. Letitiæ dicatus is dies proximúsque fuit. Treuirensi demum atque aliis de redita in patriã cogitantibus, curatores ærarij Regia munera repræsentauere, vasa eximij operis, cælato argento inaurata: item aureos torques quadraginta viritim nobilioribus dispertiendos: fœminæ Indicas veréque pretiosas gemmas retulere. In ipso discessu Germani prolixè laudare Franciam & in cælum ferre verbis, perpetui fœderis cum nostra gente significationes dare, testari sibi eosdem hostes atque amicos in posterum futuros. Qui gallicè Latinéue nesciebant, nudato capite flexóq; genu & extẽsa quàm maximè poterant datáque dextra quid in mente esset satis superque eloqui. Henricus Guisa aulæ magister, Melchior Mompesacius, Sciauignius, Vaugyonus, nobilissimi viri, ab euntes ad ipsos vsque Leucorum fines prosequi iussi. Hæc quorum fortuna spectatores nos esse voluit, hoc commentario breuissimè complexi in annalibus copiosè enarraturi sumus.

FINIS.